

edoctus, Suleimanum adit; quæ acciderant, non maligno in illum Venetorum animo facta, sed fortuito evenisse commemorat. Quis enim talia Senatus voluntatis, ac mentis conscius in amicum, & præpotentem Regem de industria perpetrasset? ob maritimas leges importune neglectas malum illud erupisse; constanter Venetos pacem cum Ottomanis inviolatam omni tempore servaturos. At Suleimanus nihil Canalis oratione permotus, antiquæ pacis specie se deceptum, atque illusum dicens, Reipublicæ gravissimum bellum minatur; ni damna statim sarcirentur, noxii pœna afficerentur, atque classis imperator, in quem facinoris omnem culpam congregabat, plecteretur: ad hæc explicanda, ut nuntium Venetias mitteret, petiit. Canalis Alexandrum Urfinum, ut de his omnibus Senatum doceret, poscisci jussit; ni aliqua animadversione in facti auctores uteretur, procul dubio irati Suleimani arma, quem implacabili animo in Rempublicam cernebat, expectaret. Nam reliquis illud quoque accesserat, ut Andreas Auria, viginti octo triremibus apprimè instructis, Zazynthi, ac Cephaleniæ litoribus adnavigans, varii generis Turcarum navigia, quæ annonam, atque victui necessaria Aulonem ad exercitum convehabant, capta diriperet; rursusque explorando maria Corcyram delatus, Janusbeji triremes a nostris nuper in fugam actas, vacuas, ac desertas abduceret; quæ res acrius in Venetos Suleimani animum incendit.

Per eos quoque dies Pesareus imperator certior factus, Aheneobarbum Zacyntho digressum, cum octoginta triremibus Corcyram petere, ut omnes congregiendi occasiones vitaret, cum classe Euripo egressus, iter in sinum Adriaticum, ut Viturio conjungeretur, arripuit. Verum, repente furente noto, in oppositum Italiæ litus delatus, cum haud procul a terra abesset, ac nautæ ob noctis tenebras sistendas in anchoris triremes censerent, ut fessi longo itinere remiges recrearentur, atque repentino turbine oborto, neque præmitti ad speculandum celoces, neque ex triremium carchessiis, tenebricosa nocte prospectum impediante, dispici maria a longe possent; forte prima quindecim triremium acies, quæ ab Alexandro Contareno legato ducebatur, improvise in regiam

1537

*Alexander
Urfinus a
Canali lo-
gato Vene-
tias mitti-
tur.*

*Hieronymus Pesa-
reus classis
imp. in sinu
Adriaticum
proficiscitur.*